

§. 8.

Ipsa Scriptura S. testimonium omni exceptione majus hujus gentilium ἀπιείς perhibet Act. 17. 18. ubi Athenienses Paulum σπερμολόγον & novorum dæmoniorum denunciatores appellitant, quod illis Jesum Christum & resurrectionem mortuorum annunciatet. Commate insequente 32. audientes resurrectionem mortuorum, alii eum irridebant, alii vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum, Conf. Act. 16. 8. & 24. ubi resurrectionem mortuorum profertenti Festus magna voce regeffit: **INSANIS PAULE!** Tanto conatu, tantâq; consensione gentiles à fide hujus resurrectionis abhorruerunt.

§. 9.

Gentilibus longo ordine suppetias tulerunt varii variorum temporum adversarii. Versante adhuc in terris Domino nostro Jesu Christo mortuorum resurrectionem inficiabantur Sadducæi, de quibus videri poterit, Josephus l. 13. Antiquit. c. 9. & l. 18. c. 2. nec non de bello l. 2. c. 12. Epiphanius quoq; hæresi 14. Conf. ante omnia Matt. 22. 23. Marc. 12. 18. Luc. 20. 27. Act. 23. 8. quos ad incitas redegit apud Matthæum l. c. ipse Salvator noster, & quidem ex ipso Mose, sive quod ipsi præter Mosē reliquas scripturas V. T. parvi facerent, adeoque ex Mose convincendi essent, sive quod ipsi è Mose argumentum contra resurrectionem mortuorum Domino nostro Jesu Christo objectavissent. De Hymenæo & Philetō Paulus refert 2 Tim. 2. 17, 18. quasi adseruerint resurrectionem jam esse factam, sive per pœnitentiam & fidem, sive per liberorum procreationem, sive per animarum in alia corpora transitum, sive per reversionem judæorum ex captivitate Babylonica, sive per renovationem terræ, quæ fit verno tempore; sive per baptismum, sive per resurrectionem Christi, sive illorum qui Matth. 27. 52. surrexerunt leguntur, uti alii aliter horum mentem explicarunt, quo de pluribus videri poterit Magnif. Dn. D. Calovius in Bibliis illustrat. ad. h. l.

§. 10.

Samaritæ apud Epiphanium hæresi 9. mortuorum resurrectionem ignorarunt, nec crediderunt. Simon Magus, quem Nicephorus l. 2. H. E. c. 14. hæresium omnium Ducem & principem vocitat, & adsectæ ejus, Simoniani, carnis resurrectionem negabant, juxta Augustinum

gustum